



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XXVI. Tria praemia sacerdotis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

XXVI.

Tria præmia sacerdotis.

VIRO FORTI PRÆMIUM. VICARIUM POENÆ LICEAT OFFERRE. SACERDOS MARTIS DAMNATUM LIBERET. Sacerdos Martis fortiter fecit, tres liberi ejus deseruerunt, unum fervavit privilegio sacerdotii, alterum præmio viri fortis, offert se pro tertio vicarium.

PRO SACERDOTE.

Facilius fuerat amittere filios, quam eligere. Hos enim pueros in ipsis sacris Deum & altaribus educavi. Ea propter nimis fretus auxiliis deorum, in aciem duxi pueros adhuc teneros: quorum pater adeo juvenis inventus est, ut & militare posset, & vincere. Resisto orbitati, non jure, vel sanguine. Dulcis est omnibus vita, & jucunda, vel miseris, hujus lucis usura: nec invenio, ¹ quis possit vicarius esse, nisi filius. Mihi videtur & ille, qui primus hanc condidit legem nihil aliud cogitasse, quam patrem. Meum nunc sanguinem fundo, ² quem fundere in bello nolui: ³ num iniquum est, æque ut patiar pro liberis meis: quod sum passus pene pro vestris? Magis religio polluitur funestato, quam mortuo sacerdote. Quod si religio vos tenet, etiam liberis sacerdotis, moneo, parcatis: ipsi quoque omnia semper in templo pro sacerdote gesserunt. Agricolaë antiquas arbores extirpant, ut novas inferant: horum virtus spectabitur, nostra delabitur. Melior quidem fama seniorum: ⁴ spectata in minoribus major est: recordatio veniæ magnus est stimulus industriæ. Non interest orbitatis, ⁵ uno me vulnere feriant, an pluribus. Dediti mihi liberos, fortuna: rapuisti: concedit alios respública:

¹ *Quis possit vicarius esse, nisi filius.] Immo, nisi filii. Quis possit obire mortem pro altero, nisi pater forsan pro filio. Idem.*

² *Quem fundere in bello nolui.] Legendum: volui. Pith.*

³ *Num iniquum est, æque, ut patiar.]*

Forte: Num iniquum est, queso, ut patiar. Gronov.

⁴ *Speclata in minoribus major est.] Legge: exspectatio in minoribus major est. Idem.*

⁵ *Uno me vulnere feriant.] Potius feriat. Idem.*

blica : nec hos relinques? Quis me feriet carnifex innocentem? an commilito laureatum? ubi denique? hic, inter aras & altaria, ubi publica vota suscepi? an in campo, ubi nuper aquilas & signa protexi? Vos, duo liberi, ¹ omnibus in vita liberis : hunc & ipsi vitæ meæ præfero. Factus est mihi suo periculo charior, ² sed & meo : vos mihi honorem præstatis, hic sanguine, si mihi non licet pro filio, peribo cum filio.

XXVII.

Fortis inimicum divitem servans.

VIRO FORTI PRÆMIUM. DESERTOR CAPITE PUNIATUR. Pauper & dives inimici. Belli tempore dives se promisit fortiter facturum, si sibi mors pauperis decerneretur. Decreta est. Ambo processerunt in prælium : pauper fortiter fecit. Dives deseruit. Petit pauper præmio divitis incolumitatem, dives contradicit.

PRO PAUPERE.

SEro cœpit hic miles, judices, mortem contemnere. Ego tacui, cum peterer : hic vivere jubetur, & queritur. Expectavi diu divitem, ut ille potius quod promisit, impletet. Ab ipso quoque divite, inire debeo maximam gratiam : quod ille debebat, ego solvi. Idem in præmio facio, quod in prælio : servo civem, commilitonem meum protego. Idem eris in ævum, qui supremo die fueris.

XXVIII.

Dives fortis inimicus duorum.

Dives duobus pauperibus inimicus promisit se fortiter facturum, si sibi mors unius decerneretur. Decreta est : alter contradicit. Dives fortiter fecit : petit præmio mortem illius, qui contradixerat : alter C. D.

PRO PAUPERE.

EGo quidem verba facturum in alterius periculo, nuper in meo tacui : cum præmium peteret injustum, qui per leges

¹ Omnibus in vita liberis.] Scribe: vos, duo liberi, omnibus in vita caris, hunc & ipsi vitæ meæ præfero. Idem.

² Sed & meo : vos mihi honorem.]

Tolle asteriscum & scribe : Factus est mihi suo periculo carior : sed & meo. Vos mihi honor præstat, hunc sanguis. Si mihi non licet pro filio, peribo cum filio, Idem.